

prospicientes suem medie lanuginis, albedinis scilicet ab una parte et nigredinis ab altera, gratias diis eorum referentes, signum civitatis construende ibidem posuerunt. Audito igitur et intellecto a viris prudentibus que gesta erant, laudes diis eorum indesinenter prebentes, innumerabili gente collecta ad ipsam construendam et faciendam civitatem festinanter perexerunt. Hedificaverunt namque ibi civitatem, sicut in¹ mandatis a diis eorum habuerant, que nuncupata est Medielana, a sue que medie lanuginis erat². Versus³:

Sus fuit inventus, ponit ibi castra iuventus.

A medio tergo lanam gerit, hinc fit ergo,

Nomen ut attraherent⁴ Mediolanumque vocarent.

Videntes autem Gallorum viri nobiles et potentes propter Brenni regis Francorum metum civitatem mirabili modo ab aliis qui⁵ in Liguria morabantur constructa fuisse, similiter et universi in Italia comorantes *munitionem construere proposuerunt. Post decimum annum a Medielanuginis urbis hedificatione habitantes in Ticini ripa civitatem iuxta Ticinum, que a Ticino dicta est Ticinensis civitas, fecerunt. Alii in Emilia habitantes Agustam civitatem prope fontem Augustum, quo⁶ a fonte Augusto civitas illa nuncupata est Augusta, et Mutinam a motu dictam construxerunt; unde scriptum est: 'munitioneque labores'⁷. Pentapolim quoque, que postea dicta est Ravenna, ceperant et in sua virtute tenebant. In Panonia fecerunt Brimona a fluvio qui Brimona dicitur⁸, Mantuam et Veronam, iuxta montium fines Bergamum et⁹ Brixam⁹ posuerunt. In introitu Italie Taurinum hedificaverunt. In littore maris et in Croceis¹⁰ Alpibus Ianuam et Saonam et Altiliam¹¹ et Aquis, que ab aquis calidis dicta est Aquis, constituerunt.

Cum autem ab urbis Medielanuginis constitutione anni septuaginta sex essent transacti, quidam vir nobilis, magnanimus, in ipsa consistens civitate nomine Laudus, qui multa omi-

1) Zweimal in der Hs. 2) Fehlt Hs. 3) So ist wohl zu emendieren für 'urbe', wie die Hs. hat, das wird aus u' entstanden sein, da durch dieses Compendium oft folgende Verse bezeichnet werden. Dieselben Verse, nur etwas variiert, sind aus einer späteren Placentiner Chronik N. Archiv III, 159 abgedruckt. 4) 'attarerent' Hs. 5) 'q̄ (que) ab aliis' Hs. 6) 'que' Hs. 7) Woher das ist, habe ich nicht ermitteln können. Vielleicht ist 'Mutineque' zu lesen. 8) Ich weiss nicht, ob Codagnellus sich diesen Namen einfach erfunden, oder woran er dabei gedacht hat. Galv. Flamma c. 16 hat: 'Brunoniam, id est Cremonam'. Aber Cremona liegt am Po und nicht in Venetien. 9) ' . . xā'. Die erste Silbe ist in der Hs. ausradiert. 10) Das bedeutet die Alpes Cottiae; vgl. Pauli Hist. Lang. II, 16. Es ist sehr wahrscheinlich, dass die Corruptel schon von Codagnellus herrührt. 11) Galv. Flamma c. 15: 'Altilia, id est Terdona'. Und bei Paul. II, 16, der hier benutzt ist, wird auch Dertona als in dieser Provinz gelegen erwähnt.